



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

8. Cur Christus mundato à se leproso dixerit: Nemini dixeris?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Quòd ſi autem diuinitatis ſuæ humanitatiſq; opera manifeſtare  
 voluit Chriſtus, hoc ſigno, cur dixit: *Vide, nemini dixeris: ſed* VIII.  
*vade, oſtende te Sacerdoſi, & offer munus, quod præcepit Moyses, in* Matth. 8. 4.  
*teſtimonium illis? An beneficia tacenda? an non exigit animi*  
*gratitudo, vt illa prædicemus? Omnino, non ſunt tacenda, ſed*  
*grato animo prædicanda. Verùm opus non erat, vt ſanatus*  
 Chriſtus oſtendit, ſe gloriam ſuam non quærere, quam tamen S. Chryſoſt.  
 Pater eius cæleſtis quærerat. *Quare neque ipſe Chriſtus omni-* hom. 26,  
*no prohibuit, ne lepra liberatus vñquam aliquid de hoc acce-*  
*pto beneficio diceret; ſed ne quid diceret antè, quàm ſe Sacerdo-*  
*tibus oſtendiſſet. Cuius rei multæ erant cauſæ. Prima, vt oſten-*  
*deret, ſe Legem ſeruare, cùm mundatum mitteret ad Sacerdo-*  
*tem, ſicut Lex iubebat. Altera, ne ſanatus, ſi ſe Sacerdoti non*  
*ſtitiffet, ſecundùm legem, extra ciuitatem manere cogeretur,*  
*atque ita accepto beneficio non frueretur. Quia curati à lepra*  
*in ciuitatem redire non licebat, priuſquam à Sacerdote de eorũ*  
*eſſet curatione pronuntiatum. Tertia, quia ſi ſanitas hæc vulga-*  
*ta fuiſſet, antè, quàm à Sacerdotibus iudicata, tum Sacerdotes*  
*id audientes, calumniari poruiſſent, ac dicere, hominem non*  
*eſſe verè mundatum; quippe cuius mundities ipſorum iudicio nõ*  
*eſſet approbata, quemadmodum Lex iubebat. Quarta, quia hoc* Leuit. 14.  
 pacto inexcufabiles erant Sacerdotes, ſi in illum non crederent,  
 cuius miracula ipſi probauiſſent. Atque hoc eſt, quod ſtatim ad-  
 dit: *In teſtimonium illis, ſcilicet oſtende te, & offer munus, Nec*  
 enim negare poterant, verè fuiſſe curatum, pro cuius cognita ap-  
 probataque curatione munus acceperint. Vides ergo quorũ  
 hic, & alij à Domino ſanati leproſi fuerint? nimirum vt opera  
 DEI, potentiaque & gloria in illis manifeſtarentur. Nam eadem  
 eſt ratio de omnibus leproſis à Domino mundatis.

Magnum diuinæ potentie argumentum ſunt etiam dæmo- IX.  
 nes victi, pulſi, ex hominibus eliminati. Quod intelligimus ex  
 eorum, qui victi ſunt, potentia. Siquidem, ſicut DEVS, qui omnia Hebr. 1. 3.  
 ad agendum agit & mouet, dicitur *Portare omnia verbo virtutis*  
*ſua, vt cuius humeris longè veriùs, quàm Atlantis, totius orbis*  
*machina nitatur; ita non ſolùm Angeli, per quos DEVS res in-*  
 feriores